

IACOBVS TVSANVS CANDIDO  
LECTORI SALVTEM.



Vum haud ita pridē mihi Budæus ipse, quæ est eius luculen-  
ta erga me benevolentia & familiaritas, enarrando strictim  
percurrisset Græcas suas epistolas, et meritas ob id gratias  
agenti magnōq; præterea studio uehementer cupere me si-  
gnificanti Latinas quoq; ab eodem conscriptas itidem intel-  
ligere, liberaliter ille subdidisset prima quaq; statim occasione id sibi, quā  
uellem, curæ futurum: paulo mox tum ego mecum in secessu per ocium eas  
omneis animo gestienti atq; oculis attentioribus relegi, singula etiam uerba  
atq; adeo tropos quibus scitissimis præstat eximie, singulos diligenter obser-  
uans: quæq; mediocribus ingenijs abstrusa iudicarem, notis interim suis insi-  
gniens & distinguens: ne in consulendo identidem autore, ac notioribus mi-  
nimeq; dignos tali quidem uindice nodos habentibus locis detinendo, serijs  
eius ciuilibusq; studijs negocium diutius facerem. Deniq; captatis sepius  
temporum articulis, meq; uelut passim rogitante & illo ad manū toties ala-  
criter responsitante factum est, iustum ut in commertariū hoc modo exceptæ  
adnotationes euaserint. Quæ deinde iterū atq; iterum legendo repetitæ, non  
doctæ modo & illis quæ nuper in libros de Contemptu rerum fortuitarum  
consimili forte exierunt prorsus germanæ, sed ad ueterum etiam scriptorum  
intellectum mihi uisæ sunt quàm plurimis usui magno futuræ, ne dicam ne-  
cessariæ, ideoque quo nocturnis simul ac diurnis studiosorum manibus uer-  
sari quirent, ab illis quàm primum edendæ. Verti ad hæc ipse quidē, ne quis  
alterius dialecti aut præferat aut excuset ignorationē, Græca duntaxat La-  
tinis interserta, stylo familiari explanationis potius quàm phaleratæ cuiusdā  
& uēdibilis interpretationis ratione habita. Nam in totū Atticas illas eius-  
dem epistolas melleq; perfusas hymettio publica prælectione breui sup̄ Græcō  
sumus enarraturi, rem profecto Græcæ lingue candidatis mire profuturā.  
Hæc amice & candide lector æqui boni fecisse si te senserimus, ab eodē (quod  
dicitur) capite ut flumina uel magna atq; ubera tibi posthac deducendo ac-  
cersantur, sedulo faciemus. Vale & Budæum nostrum ama. Lutetiæ in ædi-  
bus Ascensianis pridie Idus Februarij. Anno M. D. XXVI.